



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 3. Panis, oliuæ, poma, herbæ dulces seruis Dei diuinitus ministratæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

runt, vt facerent *sibi perizomata*) nunc è Paradiso per Angelum ficus mittit in eremum. Post diluuium, Noë cœpit exercere terram, & *plantauit vineam*, vt vinum biberet cum iucunditate, en sine vinea vuas Angelus, non iam Christo, sed Posidonio, in deserto ministrat. Quid debuit vltra facere, etiam illecebris Deus homines allicit ad sibi seruiendum. Cur non sequerentur? vel ad pictas vuas etiam aues aduolarunt; ad veras vuas homines, satis alioquin appetentes vini, se non sinunt inuitari.

§. III.

Panis, oliua, poma, herba dulces seruis Dei diuinitus ministrata.

Ruffin.
lib. 2. c.
11. Pal-
lad. 59.

Abbas Hellen, de quo Ruffinus ac Palladius meminit, idem expertus est. *Cum enim aliquando panes ei defecissent, in spelunca, Angelus, in figura fratris eius, attulit nutrimentum. Rursus autem ipsum aliquando quærentes fratres decem numero, errabant per solitudinem, septimo iam die, ieiunii permanentes. Cum verò eos inuenisset, iussit in spelunca refici; illi verò eum victus admonuerunt. Ille, qui nihil habebat, quod eis apponeret, dixit eis: Potens est Deus mensam parare in deserto. Statim autem quidam adolescens, pontone, ipsis orantibus, pulsauit*

savit fores. Cum autem aperuissent, viderunt
 adolescentem habentem magnam sportam pa-
 nis & oliuarum. Iis autem susceptis, comed-
 erunt, Deo agentes gratias, cum adolescens sta-
 tim euauisset. Vides, præter panem, oliuas?
 Vis adhuc aliquid dulcius? Audi eundem,
 Palladium, de eodem Hellene. *Abijt in Ibid.*
 desertum, atq; ibi, tanquam pro concupiscentia
 carnis punienda, jeiunijs semetipsum caput af-
 fligere. Tertia autem septimana jeiunii sui, vi-
 dit in deserto jacere diuersa poma sparsa: & in-
 telligens dolos inimici, ait: Non manducabo,
 neq; contingam, ne fratrem meum, hoc est, ani-
 mam meam scandalizem. Scriptum est enim,
 quia non in cibo solo viuit homo, sed in omni ver-
 bo Dei. Cúmq; & sequenti septimana jeiuna-
 ret, paululū in somno deductus est, & ecce An-
 gelus Domini astitit ei, per visum, dicens: Sur-
 ge iam, & quæ tibi apposita inueneris, nihil du-
 bitans vescere. Surgens autem, vidit aqua fon-
 tem lenibus repletum fluentis, eiusq; ripas in-
 circuitu herbis quibusdam teneris odoratisque
 pratextas. Et accedens decerpere cepit, & ede-
 re, similiter & ex fonte poculum sumere. Con-
 firmabat autem, se nunquam in omni vita sua
 tanta dulcedinis aliquid, & tanta suauitatis
 habuisse. Inuenit autem in ipso loco etiam spe-
 luncam

*luncam quandam, intra quam aliquamdiu
quieuit. Et cum reficiendi corpusculi tempus &
necessitas adfuisset, per Dei nihilominus gratiam
nihil deerat eorum, quae poscebat à Domino.
Quid iam volumus amplius? pascit suos
Deus; & nectare atque ambrosia pascit, si
necesse est. Quid alibi delicias quærimus?
quæramus ibi, ubi est torrens voluptatis. Vna
ex hoc torrente gutta, totis fluuijs Mundi
antecellit.*

§. IV.

Manne suauitas.

Sap. 16.
20.

De Israëlitis ait Scriptura: *Angelorum
esca nutriuisti populum tuum, & paratum pa-
nem de caelo prestitisti illis, sine labore, omne
delectamentum in se habentem, & omnis sapo-
ris suauitatem. Substantia enim tua dulcedi-
nem tuam, quam in filios habes, ostendebat: &
deseruiens vniuscuiusq; voluntati, ad quod quisq;
volebat, conuertebatur. Itaque manna illud,
mellis in aliorum palato, piperis in aliorum,
in aliorum piscis, in aliorum carnis, in alio-
rum melopeponis, aut alterius suauissimi
fructus saporem efficiebat. Renouatum est
hoc miraculum non semel tantum, apud
Christianos; Deo suis prouidente, & tan-
quam paruulis lac aut melimela dante.*

Nam